

bat huiusmodi punitio. Hæc autem & subiuncta de Amazia scripta sunt. 4. reg. 14. & propterea vide ibi reliqua.

Congregauitq; Amaz' iahu Tehudam: & constituit eum per familias tribunos & centuriones in toto Tehuda & Bin' iamin. Et recensuit eos à filio viginti annorum & supra: inuenitq; triginta millia iuuenum. Hebraicè habetur. trecenta millia electorum egredientium ad exercitum, tenentium hastam & clypeum. Et conduxit mercede de Israel centum millia potentium fortitudine, centum talentis argenti.

Venit autem vir Dei ad eum. Nomen est Elohim tam hic quam cum sæpe inferius repetitur hic vir Dei. & dixit: o rex nõ veniat tecum exercitus Israel, quia non est dominus cum Israel & omnibus filiis Eph' raim. Quod si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet dominus ab hostibus. Hebraicè habetur, Quod si euado tu, fac roborare ad bellum: faciet impingere Elohim coram inimico. Et est sensus quod si tu iueris cum Israelitis ad bellum tanquam tu sis qui facias & qui roboreris ex multitudine ad bellum, faciet deus summus iudex te quasi impingentem cadere coram inimico. Dei quippe est & adiuuare & in fugam conuertere. Heb. habetur. quia est fortitudo in Elohim ad adiuuandum & ad faciendum impingere. Manifesta ratio redditur obsequendi Deo. Dixitq; Amaz' iahu viro Dei, quid ergo fiet de centum talentis quæ dedi militibus Israel: et dixit vir Dei habet dominus vnde tibi det plus quam hoc.

Separauit itaque Amaz' iahu exercitum qui uenerat ad eum de Eph' raim ut reuenteretur in locum suum: iratiq; se sunt valde contra Tehudam, & reuersi sunt in regionem suam. Efficit. in ira furoris. Reuersi quidem describuntur, sed in ira furoris, qui inferius subiungitur aduersus terram Iudæ. Porro Amaz' iahu confidenter eduxit populum suum, & iuit in uallem Salis: & percussit de filiis Schir decem millia. Et decem millia iuuenum ceperunt filii Tehudæ, & adduxerunt ad verticem petreæ: & percusserunt eos de vertice petreæ, & omnes hi crepuerunt. At de exercitus quem remiserat Amaz' iahu ne iret secum ad bellum, effusus est in ciuitatibus Tehudæ à Someron usque ad Beth' choron: percussitq; ex eis tria millia, & diripuit prædam magnam.

Postquam autem venit Amaz' iahu à cadendo Edomæ os, attulit deos filiorum Schir & statuit illos sibi in deo adorabátque eos, & illis thurificabat. Quamobrem iratus est furor domini contra Amaz' iahu: & misit ad eum propheta qui diceret ei, cur adorasti Deos qui

qui non liberauerunt populum suum de manu tua? Cùmque hæc ille loqueretur, respondit ei: an consiliarius regis factus es: cessa ne interficiam te: & cessauit propheta & dixit, scio quod cogitauerit Deus perdere te. Nomen est Elohim. quia fecisti hoc & non acquiescisti consilio meo. ut saltem pœniteret te facti.

Et inito consilio Amaz' iahu rex Ichudæ misit ad Ioas filium Jeho' acham filij Iehu regem Israel dicendo: ueni & videamus nos facie. Historia hæc quarti Reg. 14. scripta est & exposita. Remisitq; Ioas rex Israel ad Amaz' iahu regem Ichudæ dicendo: carduus qui est in Lebanon misit ad cedrum que est in Lebanon dicendo: da filiam tuam filio meo in uxorem, & transiuit bestia agri que est in Lebanon & calcauit carduum. Dixisti, ecce percussisti Edom, & idcirco erigitur cor tuum in superbiam. Hebraicè habetur, in aggrauare. hoc est non leuiter, sed firmiter instat rei grauis eleuatum cor habes: igitur sede in domo tua, cur prouocas in malum ut cadas tu & Tehuda tecum? Et noluit audire Amaz' iahu: quia à Deo erat ut traderet eos in manum hostium, quia quaesierant deos Edom. Nomen est Elohim: & ab Elohim fuisse dicitur, ut impleretur uerbum propheta præcitatatum.

Ascendit igitur Ioas rex Israel: & uiderunt se facie ipse & Amaz' iahu rex Ichudæ in Bethseme: quæ est in Tehuda. Corruitque Ichuda coram Israel: & fugit unusquisque in tentoria sua. Et Amaz' iahu regem Ichudæ filium Ioas filij Jeho' acham, cepit Ioas rex Israel in Bethseme: adduxitque eum in Ierusalaim, & rupit murum Ierusalaim à porta Eph' raim usque ad portam anguli quadringentis cubitis. Tuncque omne aurum & argentum & omnia uasa inuenta in domo Dei apud Hobed' edom. hoc est filios Hobed' edom custodis thesauri, & est hic quoque nomen Elohim. & thesauros domus regis & filios obsidum. Hebraicè habetur. & filios fidei in sororum. quæ admodum etiã habetur in quarto Regum. & reuersus est in Someron.

Vixit autem Amaz' iahu filius Ioas rex Ichudæ postquam mortuus est Ioas filius Jeho' acham rex Israel, quindecim annis. Reliqua autem uerborum Amaz' iahu priorum & posteriorum: nonne ipsa scripta sunt in libro Regum Ichudæ & Israel? Qui postquam recessit à domino, tetendit ei insidias in Ierusalaim. Hebraicè clarius habetur. Et tempore quo recessit Amaz' iahu à post Iehouah coniuauerunt contra eum coniuurationem in Ierusalaim & fugit ad Lachis. Initium coniuurationis describitur ex merito recessus à Deo: quauis coniuatio nõ fuerit tunc manifestata, sed postq̃

succubuit in praelio aduersus regē Israel. miseruntque post eū in Lachis, & interfecerunt eum ibi. Aportaueruntque eum super equos: & sepelierunt eū cū patribus suis in ciuitate Dauid. Hebraicè habetur. in ciuitate Iehuda. Vt patet. 4. reg. 14. sepultus est in ciuitate Dauid: sed author libri priuauit nomine Dauidis propter ipsius Amazie demerita, tanquam non meruerit Dauidis ciuitatem, sed Iudæ. Reliqua vide exposita in libro Regum.

CAPVT XXVI.



Vlti autem totus populus Iehudæ Huxxi' iahu (qui erat filius sedecim annorum) & regem constituit eum pro patre eius Amaz' iahu. Ipse edificauit Eloth, & restituit eam Iehudæ: postquam dormiuit rex cum patribus suis. Filius sedecim annorum erat Huxxi' iahu cū regnare cœpit, & quinquaginta nobis annis regnauit in Ierusalaim: & nomen matris eius Iechol' ia de Ierusalaim. Fecitque rectum in oculis domini: iuxta omnia quæ fecerat Amaz' iahu pater eius. in principio antequam adoraret deos Edom. Et exquisiuit Deum. Nomen est Elohim, in diebus Zechar' iahu intelligentis & videntis Deum. Iuxta Hebræum habetur. intelligentis in videre Elohim. & est genitui casus Elohim. Laudatur iste Zacharias filius Zachariæ occisi inter templum & altare quod fuerit intelligens visiones Elohim. Recole Danielis dictum quod intelligentia opus est in visione: & perpendes quod iste Zacharias percipiebat dono intelligentiæ in visionibus: utpote intelligendū, quid significarent visiones habitæ in somnis, & discernendū, quæ erant à Deo vel somniis vanis. cūque requireret dominum, direxit eum in omnibus. Hebraicè habetur. fecit prosperari eum Elohim. Sententia est clara. vnde & effectus prosperitatis subiungitur.

Egressusque est & pugnavit contra Pelisthim. & rupit murum Ghath & murum Labne & murum Asdod: edificauitque ciuitates in Asdod & in Pelisthim. Et adiuuit eū deus. Nomen est Elohim. contra Pelisthim & contra Arabes habitantē in Gurbahal & cōtra Hammonitas. Hebraicè habetur. & Mphunim. nomēque sonat loci. Dederuntque Hammoni & munus. Huxxi' iahu. De munere tributi est sermo. & divulgatum est nomen eius vsque ad introitū Aegypti. propter crebras victorias Hebraicè habetur. quia fecit roborare vsque in excelsum. hoc est qui fecit ea quæ fortitudinis erant vsque ad summum. & edificauitque Huxxi' iahu turrem in Ierusalaim super portam anguli & super portam vallis & super

per angulum: & roborauit eas. Extruxitque turrem in solitudine. pro turela gregum. & fodit cisternas multas, quia armentum multum erat ei & in campestribus & in planicie: agricola & vitatores in montibus & in Charmel, quia diligebat terram.

Habuit autem Huxxi' iahu robur facientium bellū ingredientium in exercitum per turmas in numero descriptionis suæ in manu Iehiel scribæ & Mahase' iahu præfeli: sub Chanan' iahu de principibus regis. Omnis numerus capitum familiarum potētum fortitudine duo millia & sexcenti. Et sub eis robur exercitus trecentorū milliū & septem milliū & quingentorum qui erant apti ad bella: & pro rege contra aduersarios dimicabant. Defectiua est litera: nā Hebraicè habetur. factorum belli in virtute fortitudinis: ad adiuuandum regem contra inimicum. laudantur enim militares viri. Preparauitque eis Huxxi' iahu toti exercitui clypeos & hastas & galeas, & loricas, & arcus: & lapides fundarum. Fecitque in Ierusalaim diuersi generis machinas, ut essent in turribus & in angulis ad iaciendum sagittas & sara grandia. Machinas ad iaciendum lapides magnos artificiosè factas describit. egressusque est nomen eius procul, eo quod auxiliaretur ei dominus & corroborasset illum. Deficiunt hic quædam: nā Hebraicè habetur. quia fecit admirari dum adiuuus est vsque quo inualuit. Admirandum se exhibuit quandiu adiuuus est à Deo ad præualendum: & propterea nomen eius divulgatum est procul.

ET cum roboratus esset, eleuatum est cor eius vsque ad interitum eius, & neglectum dominum Deum suum. Hebraicè habetur. & mentitus est in Iehouah Elohe suum. non verbo, sed facto. peccare enim mentis appellat, pro quanto contrarium est veritati diuinæ legis voluntariè factum. ingressusque est in templum domini ad thurificandum super altare thymiamatis. Non sat erat ei dignitas regis, sed vsurpare voluit dignitatem sacerdotalem in actione preclara: videlicet super altare thymiamatis, quod erat internum altare. Ingressusque est post eum Hazar' iahu sacerdos: & cum eo sacerdotes domini octoginta filij fortitudinis. Resisteruntque Huxxi' iahu regi & dixerunt ei, non est tui officij Huxxi' iahu thurificare domino quia sacerdotum filiorum Aharon sanctificatorum est thurificare: egredere de sanctuario. erat enim altare thymiamatis in extrema parte templi ante sanctum sanctorum. ne contempseris. Hebraicè habetur. quia mentitus es: hoc est quia peccasti in hac attentatione. Primum reddiderant rationem ex consecratione filiorum Aharon: deinde addunt rationem

rationem peccati. & tertio ignominie apud Deum, subiungendo. & non tibi in honorem à Iehouah Elohim. Et in hoc directè percutiunt intentionem regis qui ad honorem pontificium aspirabat. Iratusque est Huxx' iahu: & tenens in manu thuribulum vt adoleret incensum, minabatur sacerdotibus. Hebraicè habetur. & in manu eius thuribulum ad thurificandum: & in ira sc'i eius cum sacerdotibus, & lepra orta est in fronte eius coram sacerdotibus in domo domini desuper altare thymiamatis. Mirabilis ac subita ultio diuina describitur. Respexitque eum Hazar' iahu pontifex & omnes sacerdotes, & viderunt lepram in fronte eius, & festinato expulerunt eum. Hebraicè habetur. & fecerunt festinare eum illinc. Non explicatur expulsio: sed visa lepra sacerdotes regem leprosum ad festinè egrediendum monuerunt, sed & ipse perterritus accelerauit egredi, eo quòd sensisset ilico plagam domini. Parui refert quòd Hebraicè habetur. & etiam ipse fuit impulsus ad exeundum, quia percussit eum Iehouah. Ita quòd non solum à sacerdotibus, sed etiam à seipso sentiente plagà Dei impulsus est ad egrediendum è templo.

Fuitque Huxx' iahu rex leprosus vsque ad diem mortis sue, & habitauit in domo separata plenus lepra. Hebraicè habetur. leprosus. nihilque dicitur de plenitudine. quia excisus fuerat de domo domini: porro Iotham filius eius erat super domum regis, iudicans populum terræ. Reliquum autem verborum Huxx' iahu priorum & posteriorum, scripsit Iesah' iahu filius Am'ix propheta. sed non in libro Esaia: quem habemus, vt patet legenti. Dormiuitque Huxx' iahu cum patribus suis, & sepelierunt eum cum eis in agro sepulchri regum, eo quòd esset leprosus. Sepelierunt eum non in ipsius sepulchris regum, sed in illo agro, propter lepram: vt separatus in vita, separatus etiam esset mortuus. Reliqua exposita vide 4. Regum cap. 15. & regnavit Iotham filius eius pro eo.

CAPVT XXVII.

Rex viginti quinque annorum erat Iotham cū regnare cepit, & sedecim annis regnauit in Ierusalaim: & nomen matris eius Ierusa filia Iadoc. Fecitque rectum in oculis domini iuxta omnia quae fecerat Huxx' iahu pater eius, verum tamen non est ingressus templum domini, proculdubio ad fungendum officio sacerdotis. & adhuc populus delinquebat. Hebraicè habetur. & etiam populo facientes destruere. Laudatur

datur rex quòd imitatus est patrem in omnibus relictis operibus coram Deo & non in præsumptione sacerdotij. Cū reuerentia tamen eius erant multi in populo facientes destruere: hoc est vacantes idolatriæ: ac per hoc quantum in se erat cooperantes ad destructionem populi & diuini cultus.

Ipse edificauit portam domus domini excelsum: & in muro Hophel edificauit multum. Ciuitatesque edificauit in monte Iehuda: & in salibus edificauit castella. Hebraicè habetur. palatia. pro recreatione & venationis tempore. & turres. Ipseque pugnavit cum rege filiorum Hæmon, & vicit eum: & dederunt ei filij Hæmon in anno illo centum talenta argenti & decem millia chororum tritici & hordei decem millia, hæc reddiderunt ei filij Hammon anno secundo & tertio. Roboratusque est Iotham: quia direxit vias suas coram domino Deo suo.

Residuum autem verborum Iotham & omnia bella eius & opera. Hebraicè habetur. & via eius, sed in idem redit. ecce ipsa scripta sunt in libro Regum Israel & Iehuda. Filius viginti quinque annorum erat cū regnare cepit: & sedecim annis regnavit in Ierusalaim. Dormiuitque Iotham cum patribus suis, & sepelierunt eum in ciuitate David: & regnavit Achaz filius eius pro eo. Reliqua vide quarti Regum 15.

CAPVT XXVIII.

Ilius viginti annis amorum erat Achaz cū regnare cepit, & sedecim annis regnavit in Ierusalaim: & non fecit rectum in oculis domini sicut David pater eius. Ambulauitque in viis regum Israel: & etiam statuas fudit Bebalim. Ipseque thurificauit in valle Ben' h'annom: & lustrauit. Iuxta Hebræum habetur. & combussit filios suos in igne. Manifestè significatur combustio filiorum secundum morem gentilitatis. Et quoniam pluraliter dicitur filios suos, non vnicum tantum combussisse filium narratur, nescimus tamen propterea affirmare quòd fuerit combustio occidens filios, sed consecrans eos: tum quia filij multi explicantur combustum, tum quia modificatur combustio subiungendo. sicut abominationes gentium quas expulit Iehouah à facie filiorum Israel. Ita quòd non dicitur absolutè quòd combussit filios suos in igne, sed modificatur sicut idolatriæ ritus habebat. alienum autem à ratione videtur vt multos filios proprios vnus pater combureret occidendo, sed non quòd aliquam vltionem quodam per ignem transitu inferret: vt idem significet

significetur hic quod alibi nominatur fecit transire per ignē. Sacrificabat quoque & thurificabat in excelsis & super colles: & sub omni arbore frondosa.

Tradiditq; eum dominus Deus eius in manū regis Syriæ qui percussit eum & cepit de regno eius prædam magnam & adduxit in Damascum. Quarti Reg. 16. res gestæ tempore Achaz scriptæ sunt, ubi rex iste Syriæ nominatur Rezin. & etiam in manum regis Israel traditus est, & percussit eum plaga magna. Phacee filius Romeliæ. Isti enim duo reges conuenerant aduersus Achaz regem Iudæ tempore Esaiæ prophætæ, promittentis diuinam opem regi Achaz quam ille reuicit: ut scribitur Esa. 7. unde & diuino iudicio passus est tot & tanta ab istis duobus regibus, multo tamen peiora à rege Israel: quia regem Syriæ oportuit reuerti ad defendendum regnum suum à rege Assyriorum inuocato ab Achaz. Occiditq; Pecach filius Remal' iahu in Iehuda centum & viginti millia in die vno omnes filios fortitudinis: eo quod reliquissent dominum Deum patrum suorum. Occidit quoque Zich'ri potēs Eph'raim Maha' sciahu filium regis. Achaz & Haxricham ducem domus, & Elcanam secundum à rege. Narrantur tres excellētes personæ regis Achaz occisæ. Ceperuntq; filij Israel de fratribus suis ducenta millia mulierum filiorum & filiarum, & infinitam prædam. Sæpe interpretes vitur infinitate pro multitudine, peruleruntq; eam in Someron.

Ea tempestate erat ibi propheta domini Obed nomine. mortuo siquidem Elisæo florebat propheta iste in regno Samaritæ, propter quod dicitur hebraicè. Et fuit ibi prædicta heretico domino, Hoded nome eius. Nec ponitur aliqua limitatio temporis: nec dicitur quod aliunde venerit. & egressus est obviam exercitui venienti in Someron, & dixit eis: ecce iratus dominus Deus patrum vestrorum contra Iehudam tradidit eos in manus vestras, & occidistis eos atrociter, ita ut vsque ad cælum pertingeret vestra crudelitas. Hebraicè habetur. & occidistis eos in ira, vsque ad cælos peruenit. sed interpretes vocabulis exaggerauit. Clades enim tanta dicitur quod vsque ad cælos peruenit: utpote centum & viginti millium vno die. Et nunc filios Iehudæ & Ierusalem vultis vobis subijcere in seruos & ancillas: quod nequaquam factu opus est: peccastis enim super hoc domino Deo vestro. Iuxta hebraicum habetur. nonne tantum vobis scilicet delictorum ad Iehouah Iehoe vestrum? subaudi habetis. Et est sensus quod sufficere debent vobis iniquitates quas commisitistis vos inter vos aduersus summum Deum, &

non

non debetis addere hanc iniquitatem inter vos & fratres vestros filios Iudæ. Nunc igitur audite me, & reducite captiuos quos adduxistis de fratribus vestris: quia magnus furor domini imminet vobis, Hebraicè habetur. quia ira furoris Iehouah super vos. hoc est vindictam diuinam instar furoris super vos meremini. Surrexeruntq; viri de captiuis filiorum Eph'raim (Haxar iahu filius Iehocanan, Berech' iahu filius Mesillemoih & Iechize' iahu filius Sallum & Hamasa filius Chad' lai) contra venientes de exercitu. Et dixerunt eis: non introducetis huc captiuos ne peccemus domino, vos vultis adijcere super peccata nostra & vetera cumulare delicta. Hebraicè habetur. & super delictum nostrum. Agnoscunt principes & peccata quibus a recta ratione declinauerant, & iniquitatem idolatriæ propriæ, grande quippe peccatum est, & ira furoris domini imminet. Hebraicè habetur. quia multum delictum nobis, & ira furoris super Israel. Agnoscunt iuxta prophætæ verbum propriam iniquitatem non solum sufficere sed esse multam & mereri iram, atque furorem diuinum super populum Israel. Dimiseruntq; viri bellatores prædā & vniuersa quæ ceperunt Hebraicè habetur. captiuitatem & prædam, vestes & huiusmodi. coram principibus & tota congregatione. Surrexeruntq; viri qui nominati sunt per nomina, & apprehenderunt captiuos & omnes multos eorum vestiuerunt de spoliis, & calciauerunt eos, & comedere ad bibere fecerunt eam, & vixerunt eos, & omnem infirmum eorum duxerunt in asinis, & adduxerunt eos in Tericho ciuitatem palmarum ad fratres eorum, & dispersi sunt in Someron.

Tempore illo misit rex Achaz ad regem Assur ut auxiliaretur sibi. Pronomen illo, non demonstrat tempus post tantā eladem, sed tempus quo isti duo reges conuenerunt aduersus Achaz. author enim prius refert quæ passus est Achaz, & deinde narrat inuocatum regis Assyriorum, quia aduētus regis Assyriorum non puenit nec mala regni Iudæ. Et adhuc Edomæi venerunt: & percusserunt multos ex Iehuda, & ceperunt prædam magnā. Pelisthim quoq; dispersi sunt per ciuitates campestris & ad meridiem Iehudæ: ceperunt Bethseme & Aialon & Ghederoth & Socho & filias eius, & Timnath & filias eius, & Ghimzo & filias eius & habitauerunt ibi. Non solum isti duo reges (Rezin & Phacee) percusserunt regnum Iudæ sed & Idumæi & Pelisthini percusserunt, prædatis ceperuntq; ciuitates, videntes regnum Iudæ tam deprecatum. Humiliauerat enim dominus Iehudam propter Achaz regem Iehudæ. Hebraicè habetur. Israel. Non

minatur

minatur Achaz rex Israel. forte titulum regis Israel retinebat: aut potius propter imitationē regū Israel recedendo pe-
nitus à cultu summi dei, author nominauit ipsum regē Israel tractādo illius punitionē. eo quod nudasset eū auxilio & contē-
ptus habuisset dominū. Hebraicē habetur. quia fecit detegere in Ie-
huda, & prauaricādo prauaricatione in Iehouah. Ratio redditur
quare humiliavit Deus Iudam propter regem Achaz, quia
detexit Achaz regnū Iudæ thesauris protegentibus illud cō-
fidendo in rege Assyriorū, & prauaricatus est prauaricatio-
ne maxima aduersus summū deum, vt testantur suprascripta.

Adduxitque contra eum. Iuxta Hebræum habetur. Et venit su-
per eum Thillegath pīlnefer rex Assur. Inuocatio regis Assyrio-
rum suprascripta ad adiūuādū ipsum Achaz, trahit intellectū
lectoris ad intelligēdū q̄ nō cōtra Achaz uenit, sed uenit
innixus uocationi eius. qui & afflixit eum, & nullo resistente va-
stauit. Iuxta hebræum habetur. & fecit angustare ei & nō roborauit
eum. Duo effectus ex aduentu regis Assyriorū narrantur:
alter q̄ generauit angustias ipsi Achaz, alter q̄ nō cōtulit ro-
bur eidē. Et āgustia q̄dē in exactione pecuniarū intolligitur,
vt tāta fuerit exactio vt angustaretur rex Achaz ad inuenien-
dam tantam pecuniam: non collatio autem roboris intelligen-
tur in eo quod non fecit ei restitui ciuitates ablatas ab eo, sed
dimisit eum in sua debilitate. Igitur Achaz, uoluita domo domi-
ni & domo regum & principum. Hebraicē habetur. Quia diuisit
Achaz domum Iehouah & domū regis & principum. Quāuis di-
uidere pro dissipare intelligi possit (quod in libro Regum
scribitur thesauros inuentos tā in domo dei q̄ regis, dedisse
regi Assyriorum) vt tamen non solum ueritas sed proprietas
hebraici sermonis seruetur, partitus dicitur domus dei & re-
gis & principum: non quod partem accepit & partem dimi-
serit (quoniam tam liber Regum quā angustia hic scripta
sonat contrarium) sed diuisit onus solū dī regi Assyriorum
in domum Dei, domum regis & principum. ita quod nō aggra-
uauit populum, qui tam afflictus erat, & dedit regi Assyriorum
munera. Superfluit munera. & tamen nihil ei profuit. Hebraicē
habetur. & non in adiutorium ei. Angustus & oppressus tanta
exactione soluit quidem, sed non obtinuit auxilium pro se
sed oppressionem inimicorum: ita quod hostes eius fuerunt
depressi, sed ipse non fuit adiutus, imo nō etiam sub tributo
seruiens regi Assyriorum.

Insuper &

Insuper & tempore angustie sue, adiunxit prauaricationem in
dominum, ipse per se rex Achaz. Superfluit per se. hebræi tamen
ponderāt hoc in loco pronomen ipse, ad significandum quod
interpres exposuit. Et immolauit diis Damasci percussoribus suis,
& dicit: dū regum Syria auxiliantur eis, immolabo eis & auxilia-
buntur mihi: cum e contrario ipsi fuerint ruina ei & toti Israeli. Di-
reptis itaque Achaz omnibus uasis domus Dei atque constractis. He-
braicē habetur. Et congregauit Achaz uasa domus Elohim & con-
cidit uasa domus Elohim. Duo manifestantur, alterum quod
etiam uasa domus dei abstulit: alterum quod concidit illa vt
pecunia fieret ex eis. Et nomine uasorum significantur more
hebraico uniuersa (puta mensa, calendabrum, altare aureum)
& non solum quæ nos uasa dicimus. & clausit ianua domus do-
mini. vt nec uestigium diuini cultus in templo remaneret. &
fecit sibi altaria in omnibus angulis in Ierusalaim. In omnibus quo-
que ciuitatibus Iehuda extruxit aras ad cremādū thus. Heb. ha-
bet. fecit excelsa ad sufficiendū Elohim aliis. Nulla materia suffit
(hoc est cremāda istar thuris) determinatur: poterat caro sic
cremari vt fiebat in holocausto. atque ad iracundiā prouocauit
omnium deum patrum suorum.

Reliqua autem uerborum eius priorum & posteriorum & omnia
uiarum eius: ecce ipsa scripta sunt in libro regum Iehuda & Israel.
Dormiuitque Achazum patribus suis, & sepelierunt eum in ciuitate
in Ierusalaim, neque enim receperunt eum. Hebraicē habetur,
quia non fecerunt uerere ipsum in sepulchra regum Israel. Nullas
refutas recipere scribitur, sed sine nomine multi iudicauerūt
ipsum indignum sepulchris regum Israel: & propterea non est
in sepulchris regum sepultus. Nec te moueat nomen Israel: nā
sepulchra regum in ciuitate Dauidis, erant sepulchra non so-
lum regum Iudæ sed etiam regum Israel, Dauidis, Salomonis
Iosaphat, regnauit Chizei iahu filius eius pro eo.

CAPVT XXIX.



Chizei iahu regnare cepit filius viginti quinque annorū,
& uiginti nouem annis regnauit in Ierusalaim: & nomē
matris eius Abiia filia Zechariahu. Fecitque quod erat
placitum. Hebraicē habetur. Fecitque rectum. secundum
regulam diuinam in oculis domini, iuxta omnia quæ fecerat
Dauid pater eius.

In ipso anno & mense primo regni sui. Trāspōsita est litera: nā
hebraicē habetur. Ipse in anno primo regni sui in mēse primo. Vbi
clare

clare annus primus refertur ad regnum eius: mensis autem primus non ardetur ad regnum, sed absolute narratur & propterea ambiguum est an significetur mensis primus regni, an significetur mensis primus in ordine mensium anni. aperuit valvas domus domini, & instaurauit eas. Adduxitque sacerdotes & Leuitas: & congregauit eos in plateam orientalem. Hac est quæ superius appellata est atrium magnum: erat enim ex parte orientali ipsius templi. Et dixit ad eos, audite me Leuitæ: nunc sanctificamini & mundate domum domini dei patrum vestrorum, & auferite omnem immundiciam de sanctuario. Dicitio interpretata omnem immundiciam, est dicitio significans menstruatum, ita quod Hebraicè habetur. & facite exire menstruatum de sanctuario. Instat enim menstruata (quæ non solum polluta erat sed polluebat alia) describitur immundicia templi, ut per hoc intelligamus quod erat immundicia idolatriæ, quæ non solum polluta erat sed & polluebat alios. Ita quod non est sermo de immundicia luti & huiusmodi corporearum sordium, sed de immundicia sacrilegarum rerum & idolatriæ. unde & pro ratione subiungitur peccatum patrum. Quia peccauerunt patres nostri, & fecerunt malum in oculis domini Dei nostri & dereliquerunt eum: auerteruntque facies suas à tabernaculo domini & præbuerunt dorsum. Ad literam Achaz quemadmodum reliqua ita & modum orandi ordinauit contra legem Moysi: ut videlicet adoraret populus versus ad orientem, & sic auerteret facies suas à tabernaculo diuino terga præbentes illi: in coram tabernaculo adorantes, habebant facies ad occidentem secundum legem Moysi. Claueruntque ostia porticus & cinxerunt lucernas, & incensum non adoleuerunt: & holocaustum non obtulerunt in sanctuario Deo Israel. Hebraicè habetur. Elohim Israelis. more solito. Fuitque ira domini super Iehudam & Ierusalem: & tradidit eos in commotionem. Hebraicè habetur. in trepidationem. Et utrunque fuit verum: quia & dati sunt in prædam atque abducti in captiuitatem, & spoliati sunt ita ut tremuerint nudati. In desolatione & in sibilum, sicut vos cernitis oculis vestris. Et ecce corruerunt patres nostri gladio: & filij nostri & filie nostræ & uxores nostræ captiue ductæ sunt propter hoc. Nunc cum corde meo est percutere fedus cum domino Deo Israel: & auerteret à nobis iram furoris sui. Filij mei nolite me negligere. Hebraicè habetur. Filij mei nunc non errabitis, à similitudine diuinæ legis, quia vos elegit dominus, ut stetis coram eo ad ministrandam ei, & ut colatis eum & thronificetis ei.

Surrexerunt

Surrexerunt ergo Leuita, Machab filius Hamasai & Toel filius Hazar' iahu de filiis Cebathitarum & de filiis Meraritarum, Cis filius Habdi, & Hazar' iahu filius Iehal'el: & de Gherunith loach filius Zyma, & Heden filius loach. Et de filiis Elixapha, Simri, & Iehiel: & de filiis Asaph, Zebbar' iahu, & Marthan' iahu. Et de filiis Heman, Iechiel, & Simhi: et de filiis Ieduthun, Semah' iah, & Huziel. Congregaueruntque fratres suos & sanctificati sunt. secundum legis ritum. & venerunt iuxta mandatum regis in verbis domini, ut mundarent domum domini. Sacerdotes quoque ingressi sunt templum domini ut sanctificarent illud. Clarius habetur hebraicè. Et venerunt sacerdotes intra domum Iehouah ad mundandum. Narrata obedientia Leuitarum, narratur consequenter obedientia sacerdotum cum obseruatione legis: videlicet quod toti sacerdotes intra domum domini ingressi sunt, Leuitis non præsumptibus intrare iuxta legem Moysi. extuleruntque omnem immundiciam quam inueniunt in templo domini, in atrium domus domini. hoc est in atrium inter altare holocaustorum & domum Dei. illuc enim usque educebant sacerdotes quæcunque sacrilega erant intus, & Leuitæ ex illo atrio ad torrentem Cedron educebant ut subiungitur. tuleruntque Leuitæ ad efferendum ad torrentem Cedron foras. Ceperunt autem prima die mensis primi mundare. Narrata mundatione, narratur tempus distinguendum dies. Et ex hoc quod primo die mensis primi inchoarunt mundare, facile intelligimus quod superius nomine mensis primi significatur primus mensis regni: nisi quis dixerit quod eodem die quo rex congregauit sacerdotes & Leuitas in atrio magno inceperunt mundare: quod à promptitudine sacerdotum & Leuitarum alienum non esset, sed sanctificatio personarum quæ in litera præponitur obstare videtur: narratur enim sanctificati Leuitæ & ingressi ad obsequendum regi. unde tempus medium inter primum mensem superscriptum & primum mensem hic scriptum insinuat. Si quis tamen præ posterum ordinem familiarem hebraicæ phrasæ etiam hic sequatur crediderit, non errat. & in die octauo mensis ingressi sunt porticum domini, & mundauerunt domum domini diebus octo: & die sextodecimo mensis primi compleuerunt. Octo ergo dies consumpserunt mundando exteriores partes templi usque ad atrium quod erat inter templum & altare, alios autem octo dies expiando ipsam templi domum. & scripta sunt hæc ut intelligamus magnam multitudinem

Ggg

dinem

dinē idolatriæ fuisse intra domum Dei ab Achaz collocatam.

Ingressique sunt ad Ezechiam. Parui refert quod Hebraicè habetur. *Et ingressi sunt intro ad Chixi' iahu regem.* Non intelligas die decimosextimo adisse regem: quoniam nec litera hoc dicit, nec sanctificatio vasorum quam profitentur se fecisse præter mundationem templi, viquequaque quadrat. *Et dixerunt: mundauimus totam domum domini, & altare holocausti & omnia vasa eius, & mensam propositionis & omnia vasa eius.* Cum vasa mensæ propositionis essent aurea, & ipsa mensa saltem vestita auro secundum legem, non est intelligendum quod Achaz reliquerit ea: sed quemadmodum altare holocausti nouiter erectum est (nam Achaz illud amouerat) ita noua propositionis mensa aut forte lignea deaurata vetus, mundata dicitur. Vasa autem non nisi ærea intelligi possunt, post tot direptiones domus Dei & thesaurorum & vasorum eius. *Cunctamque templi suppellectilem quam polluerat rex Achaz, Hebraicè habetur. Et omnia vasa que fecit obliuisci rex Achaz in regno suo.* Dicitio tamen interpretata obliuisci, ab aliis interpretatur elongare, sed sententia eadem redit: quia vasa referuntur quæ Achaz per elongationem ab vtu fecit tradi obliuioni, postquam præuaricatus est. Hebraicè habetur. *in præuaricari suo.* nunquam enim legitur bonus. *Et ecce exposita sunt omnia coram altari domini.* Hebraicè habetur. *preparauimus & sanctificauimus: & ecce ipsi coram altari Iehouah.* Dicendo preparauimus & sanctificauimus, præter sanctificationem multa ipsos reparasse significatur.

Urexitque diluculo Chixi' iahu rex, & adunauit principes Sciuitatis: & ascendit in domum domini. Adduxeruntque taurorum septem & arietes septem & agnos septem & hircos caprarum septem pro peccato, pro regno & pro sanctuario & pro Iehuda. Quauis lege non fuerit sanctus numerus iste, decretus tamen est à rege & principibus quia numerus septenarius in lege sacratus erat, & immensum pelagus peccatorum numero Deo consecrato comprehendendum putarunt. *dixitque filius Aharon sacerdotibus ut offerrent super altare domini.* Et mactauerunt bouem, & receperunt sacerdotes sanguinem & asperserunt super altare: mactaueruntque arietes, & asperserunt sanguinem super altare. Et applicuerunt hircos pro peccato coram rege & ceteris, tanquam offerentibus hircos pro peccato, imposueruntque

manus,

manus suas super eos, deputati ad hoc vice regis & vniuersæ multitudinis. *Et immolauerunt eos sacerdotes.* Interpretatur utitur immolare pro iugulare: sacerdotes enim iugulauerunt illos. *Et asperserunt sanguine eorum altare pro piculo totius Israel: pro toto enim Israel preceperat rex ut holocaustum fieret pro peccato.* Deficit coniunctio: legendum est. *dixit rex holocaustum & Chatath.* hoc est & pro peccato, vtrunque enim mandauerat rex fieri pro vniuerso Israele. *Construuntque Lenitas in domo domini cum cymbalis & psalteriis & citharis secundum dispositionem David regis, & Ghad videntis regis, & Nathan prophete.* Vterque domum prophetiæ habuerat: sed Ghad appellatur videns antiquo prophetarum nomine, Natha autem propheta quod fuit nomen posterius, quia Ghad antiquior propheta erat: utpote qui cum Dauide fuerat tempore quo David profugus erat à facie Saulis: ut patet. 1. reg. 22. & ipse appellabatur videns regis Davidis: ut patet. 2. reg. vlt. & 1. para. 21. quia domini præceptum fuit per manus prophetarum eius. Hinc habetur quod ordinata per Dauidem non omnia fuerunt ei reuelata immediate à Deo, sed multa per medios prophetas. *Statueruntque Lenita cum organo David, & sacerdotes cum tubis.* Certe differentiam: sacerdotes secundum ordinem Moysi utebantur tubis, Lenita autem secundum ordinem Davidis utebantur aliis instrumentis musicis.

Et iussit Chixi' iahu ut offerrent holocaustum super altare: cūque inciperet holocaustum, inceperunt laudes canere domino & clangere tubis & diuersis organis quæ David rex Israel inuenerat congregate. Vtque congregatio adorabat: & cantores & ii qui tenebant tubas erant in officio suo donec compleretur holocaustum. Cūque finita esset oblatio, incuruatus est rex & omnes qui erant cum eo. Hebraicè habetur. *genuslexerunt rex & omnes inuenti cum eo & adorauerunt.* Hinc mos penditur ut in fine holocausti genua flecterent & adorarent. *Præcepitque Chixi' iahu rex & principes Lenitis ut laudarent dominum sermonibus David & Asaph videlicet.* Appellatione sermonum intelliguntur psalmi. Et hinc habetur quod non solus David fuit author psalmodiarum, sed etiam Asaph, quod est intelligendum quo ad materiam: auctorum enim psalmodiarum materiam reuelata sunt Asaph & aliis prophetis in titulis psalmodiarum nominatis, sed quo ad formam & metrum David author fuit psalmodiarum omnium: ex appendice septuagagesimisecondi psal-

Ggg ij mi

mi probauimus in præfatione super psalterium. qui laudauerunt cum magna letitia, & incuruato genu adorauerunt. Hebraicè habetur. & incuruauerunt se & adorauerunt. Caput humiliter inclinauerunt Leuitæ coram rege venerando illum: vt subiuncta testantur. nam in hebræo non subiungitur. *Exechias autem etiam hæc addidit. sed. Et respondit Chixci iahu & dixit. Dicendo & respondit (proculdubio Leuitis) manifestat quod Leuitarum incuruationi corâ se respondit rex. implestu manus vestras domino. Parui refert quod hebraicè habetur. nunc implestu manum vestram Iehouah. Appellatur implere manum summo Deo, consecrare & dicare opus Deo. Laudat itaque rex Leuitas quod modò obtulerunt operas suas summo Deo. accedite & offerte victimas & laudes in domo domini. C. itio interpretata laudes (quæ etiam repetitur in sequenti linea) significat munera quæ offerebantur pro beneficio recepto manifestæ gratiæ diuinæ. obtulitque tota cõgregatio victimas & laudes, & holocausta mente deuota. Hebraicè habetur. & omnis voluntarius corde holocausta. Nec voluntarius corde arctatur ad holocausta, sed præcedentia etiam comprehendit.*

Fuit autem numerus holocausti quod obtulit congregatio, boues septuaginta, arietes centum, agni ducenti: sanctificaueruntque domino boues sexcentos. Manca est litera nam post agnos ducentos immediatè subditur. pro holocausto ad Iehouah omnia hæc. Et immediatè sequitur. Et sanctificauit: boues sexcenti, & ouium tria millia. Inter oblata pro holocaustis & oblata Deo in genere vt dicata essent Deo, differentia scribitur. Sacerdotes verò pauci erant, & non poterant excoriare omnia holocausta. Hinc clarè habetur quod excoriata holocausta erat officium sacerdotum, & in articulo duraxat necessitatis communicatum Leuitis. Et quia claritas perrogat coniecturæ, ideo quod in Leuitico ex coniectura scriptissimus spectare ad offerentem excoriare holocaustum per se vel alium, tractamus: & de sacerdote ibi esse sermone intelligimus hinc. Et idem intellige de iugulatione & actionibus reliquis, excepta manuum impositione. solè quidem hæc actio spectabat ad ipsum offerentem, reliquæ verò ad sacerdotem: quanuis ibidem oppositum scripserim. *ipse eruntque eos fratres eorum Leuitæ donec impleteretur opus & sanctificarentur antistes.* Hebraicè habetur. sacerdotes, sufficiente ad opus excoriant. *Leuitæ quippe faciliori ritu sanctificantur quam sacerdotes.*

Iuxta

Iuxta Hebræum habetur. quia *Leuitæ recli corde vt sanctificarentur præ sacerdotibus.* Oratio comparatiua est, rationem reddens quare multi Leuitæ erant sanctificati, sacerdotes verò pauci, quia cor Leuitarum rectius fuerat quàm sacerdotum ad hoc vt sanctificarentur. Arguuntur ergo sacerdotes minoris reatitudinis. & hoc implicite paulo superius insinuatum fuit: dum ad exhortationem regis narrantur nomina familiarum multarum Leuitarum ex quibus surrexerunt Leuitæ ad sanctificationem, de sacerdotibus verò dicitur in genere quod etiam sacerdotes &c. in hoc eodem capitulo. quia enim pauci sacerdotes fuerunt prompti ad sanctificationem, ideo ibi implicite dictum hic explicatur. *Fuerunt igitur holocausta in multitudine cum adipibus pacificorum & libaninibus holocaustorum: & completus est cultus domus domini.* Hebraicè habetur. & directum est ministerium domus Iehouah, quanuis deesset sufficiens sacerdotum numerus, diuini tamen ministerii officia directione non caruerunt.

Letatusque est Chixci iahu & totus populus, eo quod ministerium domini esset expletum. Hebraicè habetur. eo quod direxisset Elohim populo: quia repente fuit res. Materia gaudii regis & populi narratur diuina directio qua direxit populum ad cultum diuinum, seu direxit ea quæ diuini cultus erant prospera populo. Et est magis deo attribuitur directio hæc quia repente fuit res ista, vt hebraica habet veritas: hoc est sine præuiliis nunciis, prophetis, prædicatoribus & huiusmodi præparatoriis.

CAPVT XXX.



Uit quoque Chixci iahu ad totum Israël & Iehudam. Fuit hoc post sextum annū regni Ezechia, apparet etiam eo quod misit ad omnē Israël carentē regem: vt per reliquias Israelis duos in captiuitatē à rege Assyriorum anno sexto Ezechia, vt scribitur. 4. reg. 18. profugum quidem Israelitæ reuerfi erant isti ad quos misit Ezechias. scripsitque epistolas ad Eph'raim & Menasse. Specialis mentio fit istarum tribuum specialique officio vocatæ narrantur, videlicet per literas: eo quod magis vix inueniebatur. quod ideo accidit, quia sub ditione regis Iudæ aliquæ Eph'raim & Menasse ciuitates existentes, non sunt inuasa à Salmanasar rege Assyriorum. vt venirent ad domū domini in Ierusalaim, ad faciendū pascha domino Deo Israel. Inuitque consilium rex & principes & totus cœtus in Ierusalaim, ad faciendū pascha

Ggg ij in

in mense secundo. proculdubio secundum ordinem mensium anni. Non enim occurrerat facere in tempore suo. Hebraicè habetur. Quia non potuerunt facere illud tempore suo. Tempus celebrandi pascha secundum legem erat mensis primus (vt patet Exod. 12.) ita tamen vt impediti primo mense celebrarent pascha mense secundo, vt patet numeri capitulo nono: & propterea impedimentum scribitur primi mensis pro ratione celebrandi pascha mense secundo. quia sacerdotes qui possent sufficere non fuerant sanctificati, & populus non fuerat congregatus in Ierusalaim. Prima ratio impedimenti redditur ex parte sacerdotum, altera autem ex parte populi. Placuitque sermo in oculis regis & in oculis totius cæus: & decreuerunt mittere nuncios in vniuersum Israel à Beersabab vsque Dan, vt venirent ad faciendum pascha domino Deo Israel in Ierusalaim: multi enim non fecerant sicut in lege scriptum est. Iuxta Hebræum habetur. quia non in multitudine fecerunt sicut scriptum est. Explicatur illud paulo ante scriptum: videlicet quia non potuerunt facere pascha tempore suo. explicatur inquam manifestando quòd multitudo nō fecerat celebritatem paschalem tempore suo. Et dicitur hoc tum ad differentiam aliquorū qui fecerant pascha tempore suo: tum ad commemorandum præceptū legis non seruatum fuisse. nam Exo. 12. mandatur quòd vniuersa multitudo congregationis Israel celebret pascha quattadecima die mensis primi.

Perrexeruntque cursores cum epistolis ex regis imperio. Heb. habet de manu regis & principum eius in totum Israel & Iehudam. Subscriptæ manu regis & principū narrantur litteræ, vt essent efficaciores. iuxta præceptum regis dicentes: filii Israel reuertimini ad dominū Deū Abrahā Ixhac & Israel, & reuertetur ad reliquias quæ effugerunt manus Regum Assur. Hinc apparet quod post captiuitatem vltimā regni Israel hæc gesta sunt, et ne sicut patres vestri & fratres vestri qui prauaricati sunt in dominū Deū patrum suorū: tradiditque eos in desolationem, vt videritis. Igitur non induretis ceruices vestras sicut patres vestri: addite manus vestras domino. tum ad fœdus, tum ad eleuationem adorando qui eleuatis eas idolis. & venite ad sanctuarium eius quod sanctificauit in æternum, & seruite domino Deo vestro, & auerretur à vobis ira furoris eius. Si enim vos reuersi fueritis ad dominum, fratres vestri & filii vestri misericordiam inuenient eam eis qui captiuos duxerunt eos, & reuertentur ad terram hanc: pius enim & clemens.

Hebraicè

Hebraicè habetur. quia misericors & miserator est dominus Deus noster. sed parui refert. & non auerret faciem suam à vobis si reuersi fueritis ad eum.

Et cursores pergebāt velociter. Superfluit velociter. de ciuitate in ciuitatem in terra Eph'raim & Menassus vsque ad Zebulun: illis iridentibus & subsannantibus eos. Attamen viri de Aser & Menasse & Zebulun acquiescentes consilio. Hebraicè habetur. fuerunt humiliati. interno diuino munere, quemadmodum de Iudæis subiungitur. & venerunt in Ierusalaim. Etiam in Iehuda fuit manus Elohim ad dandum eis cor vnum ad faciendum præceptum regis & principum in verbo domini. Diuina gratia describitur communis prædictis & Iudæis: disparitas autem penes hoc quòd communicata est gratia Iudæis omnibus, dictarum autem tribuum quibusdam.

Congregati que sunt in Ierusalaim populi multi. Hebraicè habetur. populus multus. Et post illa verba subiungit. ad faciendum solennitatem axymorum in mense secundo. scriptum est. adunatio in multitudine valde. Sententia est clara. Surrexeruntque & abstulerunt altaria que erant in Ierusalaim: & omnia in quibus adolebatur incensum idolis abstulerunt, & proiecerunt in torrentem Cidron. Immolaueruntque pascha quattadecima die mensis secundi. iuxta decretum Moysi Num. 9. sacerdotes quoque & Leuitæ tandem sanctificati. Hebraicè habetur. & sacerdotes & Leuitæ fuerunt recundati & sanctificauerunt se. Minor sacerdotū & Leuitarū multorū amor ad diuinū cultum manifestatur ex eo quòd veracitè ducti sanctificauerunt se. videbāt enim populum deuotè concurrentem ad diuinum cultum: & sic in seipsis confundebantur & sanctificauerunt se. & obtulerunt holocausta in domo domini. Steteruntque in ordine suo iuxta morem suum, iuxta legem Moysi viri Dei. Nomen est Elohim. sacerdotibus que suscipiebant sanguinem aspergendum de manibus Leuitarum. Quia multi erant in congregatione qui non sanctificauerunt se. Non de sanguine agni paschalis est sermo, sed de sanguine victimarum quæ offerebantur in templo. nā agnus paschalis ubique in omnibus domibus Ierusalem offerebatur: & sanguis eius in superliminibus & postibus domus ponebatur, nec aspergebatur per sacerdotes in altari. Est itaque sensus litteræ, quòd quia multi sanctificati nō erāt qui tamen offerebāt victimas, ideo in actu offerendi Leuitæ supplebant officium quod debebat fieri per offerentes mundos. & propterea

Ggg iij corri-

corrigenda est cōtinuatio literę subiectę. & idcirco immola-
bant *Leuita phasē is qui non occurrerant sanctificari domino*, nam
Hebraicę habetur. & *Leuita super iugulationem paschatum in*
omni immundo ad sanctificandum Iehouah. Diuersa à præceden-
ti est hæc sententia tractans de alio officio suppleto à Leui-
tis: videlicet officio iugulandi agnos paschales apud immun-
dos. iuxta legis siquidem ritum nec sacerdos nec Leuita re-
quirebatur ad immolandum pascha in domo in qua immola-
batur, sed paterfamilias mundus iugulabat agnum: verū exi-
stente multitudine immūda deerat inūdus iugulator in mul-
tis domibus, quia nec paterfamilias nec alius in illa domo
mundus aderat: & propterea Leuitę suppleuerunt officium
iugulandi apud immundos. Magna enim pars populi. Hebraicę
habetur. *Quia multitudo populi multitudo de Eph'raim & Me-
nasse Isaschar & Zebulun non se mundauerunt*. Ratio quare oport-
uit Leuitas supplere officium iugulandi pascha, redditur mul-
titudine immundorū. Deinde immediatē subiūgitur. *quia co-
mederunt pascha non sicut scriptum*. v. vide disparitatem. multitu-
do immūda non præsumpsit iugulare pascha, comedit tamen
pascha nō secundū quod scriptum est: hoc est carens mūdi-
cia requisita à lege scripta. Et ratio disparitatis fuit, quia iu-
gulatio paschæ erat præcipua actio paschalis sacrificij, quia
igitur multitudo immūda comedit pascha & nō præsumebat
iugulare, Leuitę officium iugulandi suppleuerunt. & orauit pro
eis. Hebraicę habetur. *quia orauit Iechizci iahu super eos dicen-
do*. Contextus insinuat quod prius Ezechias orauit pro eis
quàm isti immūdi præsumerēt comedere pascha: nam ratio
comestionis redditur, dicendo quia orauit Ezechias. *dominus
bonus propitiabitur cūctis qui in toto corde requirunt dominū Deum
patrū suorū*. Deficit vna dicitio: legendū est. *Omni qui direxit cor
suum ad querendum Elohim Iehouah Elohe patrū suorū*. Descri-
bit immūdos qui venerāt ad diuinū cultū secundū cor: quod
videlicet totū cor direxerint ad querendum in gubernatorem
& iudicem, fontē essendi iudicē & gubernatorem patrū suo-
rum. & non imputabit eis quod minus sanctificati sunt. iuxta he-
bræum habetur. & non sicut mundificatio sanctitatis. Confidit
Ezechias (supplicando tamen) quod summus Deus bonitate
sua præferet integritatem cordis mundicię, requisitę secun-
dū sanctitatē legitimā: ita quod propitiabitur istis immundis
legaliter, mūdis autē corde. Exaudivitq; dominus Iechizci iah-
hu.

hu. Testimoniū hoc sufficit. & placatus est populo. iuxta He-
bræum habetur. & sanauit populum. Quia nullius eggritudinis
mentio facta est, sed solius immundicię legalis, ignotum re-
manet à quo morbo sanauerit Deus populū. Sensibile tamen
sanitatis signum interuenisse credendum est: alioquin oratio-
nis Ezechię exauditio occulta fuisset, nec securi comedis-
sent isti pascha, nec magna lætitia subiuncta verificaretur.

Feceruntque filij Israel qui innēti sunt in Ierusalaim solennitatē
azymorum septem diebus in lætitia magna: & laudabant dominum
per singulos dies Leuita & sacerdotes in vasis fortitudinis domino.
Et locutus est Iechizci iahu ad cor omnium Leuitarum qui habebāt
intelligentiā bonam super dominum. hoc est locutus est verba pe-
netrantia vsque ad cor, vt curam populi instruendi suscipe-
rent & continuarent: ideo enim Leuitarum duntaxat pollē-
tium bona Dei intelligentia fit mentio. Vnde & duo effectus
subiunguntur, alter quod septem diebus perseuerauit popu-
lus vacando sacrificijs & confessionibus: alter quod septem alios
dies addiderunt. & comederunt septem diebus solennitatis. iuxta
Hebræum habetur. & comederunt præparationem septem diebus.
Præparatio comedenda septem diebus paschæ, est panis azy-
mus secundum legem Moysi. *immolantes victimas pacificorum,
& laudantes dominum Deum*. Hebraicę habetur. & *consisten-
tes se domino Deo patrū suorū*, proculdubio peccasse sum-
mo Deo.

Placuitq; vniuersę multitudini vt celebrarent. Hebraicę ha-
betur. Et consilio si fuerunt totus cætus facere septem diebus aliis
instruentibus Leuitis prædictis, vt magis firmaretur populus
in cultu summi Dei & magis simul doceretur quæ sunt diui-
næ legis. & fecerunt septem diebus in lætitia. Quia Chizci iahu
rex Iehuda dedit cæti mille tauros & septem millia ouium, &
principes dederūt cæti tauros mille & ouiu decē millia: sanctifica-
tiq; sum sacerdotes in multitudine. Et lætati sunt totus cætus Iehu-
da & sacerdotes & Leuita, & totus cætus qui venerat de Israel:
prophetaq; qui venerat de terra Israel, & habitantes in Iehuda. Fa-
ctaque est celebritas. Hebraicę habetur. lætitia magna in Ierusa-
laim: quia à diebus Salomonis filij Dauid regis Israel non sicut hæc
in Ierusalaim. Ita quod nō celebritas, sed lætitia narratur ex-
cedēs omnem aliā lætitiā paschalem à tēpore Salomonis. Et
in præcepto erat ratio: quia totannis intermissa fuerat, & Israel
post mortē Salomonis nunquā cōuenerat ad pascha inhibē-
tibus

eibus regibus Israel. Surrexerunt autem sacerdotes atque Leuitae. Iuxta hebraeorum legitur absque nota coniunctionis. sacerdotes Leuitae. hoc est Leuiticæ tribus. & benedixerunt populo. ad sacerdotes enim filios Aharon spectabat benedicere populo: ut patet Nume. 6. & exaudita est vox eorum & peruenit oratio eorum ad habitaculum sanctum eius ad caelum. Testimoniū scripturæ sat est. si quæris quomodo cognitū est, respōden quod spiritus sanctus est author scripturæ sacræ qui omnia nouit & scriptori reuelauit ex illa oratione Deum benedixisse populo. Et bene nota quod multiplicatio frugum scripta in sequenti capitulo nota fuit ad sensum: sed quod fuerit fructus istius sacerdotalis benedictionis, ex reuelatione cognitum fuit.

CAPVT XXXI.



Vmque percessissent totum hoc, egressus est totus Israel qui inuentus est in ciuitatibus Iehuda, & frugerunt simulachra & succiderunt lucos & demoliti sunt excelsa & altaria de toto Iehuda & Biniamin & in Ephraim & Menasse & que ad consumptionem. Hinc quoque apparet quod post destructum regnum Samariæ hæc gesta sunt. reuersi sunt omnes filij Israel unusquisque ad possessionem suam ad ciuitates suas.

Iechizai iahu uero constituit diuisiones sacerdotum & Leuitarum super diuisiones eorum: unumquemque in officio proprio tam sacerdotum quam Leuitarum ad holocaustum & pacifica: ad ministrandum & confitendum & ad laudandum in partibus castrorum domini. Castra domini appellantur septa tentorii in quibus habitabant ministrantes diuino cultui. Pars autem regis eorum erat. Superfluit eorum. ut de eius substantia offerretur holocausta mane & uespere & holocausta sabbatorum & calendarum & solennitatum: sicut scriptum est in lege domini. Manifestatur quod Ezechias suscepit in se onus prouidendi de iugi holocausto, & de holocaustis sabbatorum, calendarum & reliquarum solennitatum legis. Præcepitque populo habitanti in Ierusalaim. Cœpit facere, deinde docere & præcipere. ut daret partes sacerdotibus & Leuitis. Hebraicè habetur. *ut partem sacerdotum & Leuitarum.* hoc est ea quæ secundum legem debent dare tum sacerdotibus tum Leuitis: quæ scripta sunt in lege Moysis diffusè. ut possent vacare legi domini. Sic est finis & ratio quare ministris diuini cultus debentur subsidia à populo.

Quod

Quod cum percrebisset in auribus multitudinis. Hebraicè habetur. *Et sicut multiplicabitur res, multiplicauerunt filij Israel primitias frumenti uini & olei & mellis.* Narratur quod inchoata & multiplicata oblatione ab habitatoribus Ierusalém, moti eorum exemplo filij Israel alibi habitates multiplicauerunt & ipsi offerendo primitias. & omnium quæ gignit humus. Hebraicè habetur. *& omnis fructus agri.* quod minus esse perspicuū est. Deinde immediate sequitur. *& decimam omnium in multitudine attulerunt.* Prædixit de primitiis, & postea subiunxit de decimis. & quæ admodum prius narrauit primitias oblatas ab habitatoribus Ierusalém & deinde ab aliis, ita & de decimis intelligendū est. Unde & subiungitur imitatio habitatorum extra Ierusalém quo ad decimas animalium. Filijque Israel & Iehuda habitates in ciuitatibus Iehuda etiā ipsi decimam bouum & ouium decimamque sanctorum qua uouerant domino Deo suo, obtulerunt. Hebraicè habetur. *& decimam sanctitatum sanctificatarum Iehouah Elohe eorum, attulerunt.* Leuitæ debebant sacerdotibus decimam decimarum: hæc sacerdotum portio appellatur sanctitas sanctificatorum, quoniam ex sanctificatis Deo decimis datis à populo Leuitis, sumebatur hæc decima sanctificata Deo pro sacerdotibus. Et manifestatur per hoc quod Leuitæ quoque attulerunt debitam decimam sacerdotibus. & posuerunt ad eruam. Mese tertio ceperunt aceruos iacere fundamēta. Hebraicè habetur. *in ceperunt aceruos in fundamento.* hoc est prima principia aceruosorum. & mense septimo complenerunt.

Venerunt autem Iechizai iahu & principes, & uiderunt aceruos: benedixeruntque domino & populo eius Israel. Et interrogauit Iechizai iahu sacerdos primus de domo Zadoc, & dixit: ex quo cepit oblatio offerri in domo domini comedimus & saturati sumus & superfluit in multitudinem, eo quod benedixit dominus populo suo & superesse fecit copiam in pecunia. Ecce fructus diuinæ benedictionis per sacerdotes factæ ut narratum est in præcedenti capitulo.

Præcepitque Iechizai iahu præparare cellaria in domo domini: & præparauerunt. Intuleruntque oblationes & decimas & quæcumque uouerant. Hebraicè habetur. *& sanctitates in fide.* Significantur autem decimæ decimarum supradictæ. fuitque præscriptus super ea Chanani iahu Leuita & Simhi frater eius secundus. Et Iechiel & Hazari iahu & Nachbi & Hasael & Jerimoth & Iozabad & Eliel & Iismach iahu & Machath et Benai iahu: postpositi de manu Chanani iahu & Simhi fratris eius, ex imperio Iechizai iahu regis.